

accione, et unum pro hospite nostro domino Anthonio Siffridi, cui similiter multas referatis gracias et mille salutes. Ceterum de canonizatione ipsius hoc tempore propter assiduos tumultus bellicos in Italia, Gallia et Germania certi nichil scribere possum. Spero tamen omnino, quod omnipotens deus pia fidelium vota et honorem sancti sui pro ejus beneplacito bene disponet et diriget vos interim. Si aliquid amplius de divo Bennone invenire aut usque explorare poteritis, rogo plurimum, ut ad me scribatis, mercedem a deo exspectando, qui est omnium bonorum operum retributor. In quo et feliciter valeatis. Ex Miszna XV. die Octobris anno etc. XII.

Johannis Henning doctor decanus ecclesie Misznensis.

V. et devoto patri d[omino] H[enningo] R[ose] cenobite monasterii sancti Michaelis in Hildensem, fautori et amico charissimo.

II.

Hennig an R[ose]: fordert zur Reise nach Meissen mit seinem Abte und einem anderen Klosterbruder auf und berichtet über den Stand der Kanonisation.

1515, Januar 21.

Venerabilis ac devote domine Henninge, amice charissime, salutem plurimam. Gratus michi fuit nuncius vester, cujus ego litteras dominis ac fratribus meis de capitulo postquam legi, placuit eis diligencia vestra. Quare et meo et illorum nomine gracias vobis ago quam maximas. In quo autem statu causa divi Bennonis nostri consistat, spero, quod ex litteris, quas proximis nundinis ad dominum abbatem vestrum misi, intellexeritis. In eventum autem, quod ille littere non essent reddite, scire debetis, quod nuper obtinuimus a sanctissimo domino nostro Leone ultimam ac specialem hujus rei commissionem hic ad partes suntque commissarii nobis dati dominus episcopus Numbergensis et duo abbates, qui terminum statuent post festum passche in hac causa examinanda. Ad quem terminum duos vel tres fratres ex monasterio vestro citabunt, qui testimonium ferant de omnibus cronicis, annalibus, registris, litteris et indiciis eis in hac re notis. Scripsi igitur domino abbati vestro et adhuc rogo, quod interim tres fratres ad hujusmodi iter disponat, qui, cum vocati fuerint, veniant expensis capituli nostri. Inter quos vos, ut spero, unus eritis portabitisque vobiscum cedulas professionis jam inventas et librum abbatum monasterii vestri, ubi et Benno in suo ordine habetur, et testimonium dabit, quod liber legende, quem aliquando ad nos misistis, apud vos inventus sit, sicut tunc scripsistis. Rogo igitur, ne gravemini, vos interim ad iter disponere et singula colligere huic cause necessaria. Dabimus vobis et sociis vestris, sive in curru sive in equo veniatis, liberales expensas eundo et redeundo. De miraculis autem nichil sitis sollicitus, set consolemini fratres vestros, quod in illa die copiam miraculorum magnam videbitis et audietis auribus vestris. Dominus licenciatus Jheronimus Emser vos plurimum salutatur petitque, ut sanctum Bernwardum pro eo oretis in causa, quam occulte ab eo desiderat. Hec volui vobis pro consolacione vestra spirituali significare. Interim bene valete in Christo. In die sancte Agnetis virginis anno etc. DXV.

[fol. 63.]

Johannes Henning doctor decanus Misznensis.

V[enerabili] ac religioso p[at]ri d[omino] H[enningo] R[osen] professo monasterii sancti Michaelis Hildensemensis ordinis divi Benedicti, amico et fautori charissimo.